DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

T Y P H O.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
TYPHO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

TERENTIUS HENRY,

HIBERNUS,

CHIRURGUS.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

———aret
Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit.—
Tum verò ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia singultu tendunt; it naribus ater
Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.

VIRG. Georg. iii.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.

VIRO REVERENDO

JOHANNI O'FLYNN,

SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,

IN OPPIDO *SLIGIENSI*,

VITAM SANCTAM, SEDULAM, ET IMITANDAM,

AGENTI;

OB

AMICITIAM VERE PATERNAM

QUA SEMPER

EUM

ET OMNES BENE MERENTES

PROSECUTUS EST,

SUMMA OBSERVANTIA

HOC TENTAMEN INAUGURALE

QUALECUNQUE SIT

D.D.Cque

TERENTIUS HENRY.

GULIELMO HARTIGAN, M. D.

ANATOMICES ET CHIRURGIÆ

IN

SACRÆ TRINITATIS COLLEGIO JUXTA DUBLINIUM

PROFESSORI,

EX CUJUS PRÆLECTIONIBUS

ARTIS SALUTIFERÆ RUDIMENTA

DIDICIT;

HOC OPUSCULUM,

ANIMI DEVINCTI INDICIUM,

OFFERT

TERENTIUS HENRY.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

T Y P H O.

HIC morbus a CULLENO definitur: "Morbus contagiosus; calor parùm auctus; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parùm mutata, sensorii functiones plurimùm turbatæ; vires multùm imminutæ."

HISTORIA MORBI.

Hujus morbi prænuncii certiores sunt, horror et calor alternantes, jactatio, languor, lassitudo, animus demissus, cephalalgia, cibi aversatio, nausea, et aliquando brachiorum anaisthesia: hoc subsequuntur dorsi et lumborum dolores molesti, musculorum atonia, et pulsus celerior; lingua interim albida fit, tandem verò arida et sitibunda.

Post paucos dies, ne minimùm levatis symptomatis jam dictis, ad lectum ægro confugiendum est.

Sub noctem, vertigine caput, ardore corpus vexatur; pulsus debilis sed celer evadit, et spiritus ægrè trahitur: ad occiput dolor obtusus, torpor vel frigus subindè percipitur; dum secundum suturam coronariam dolor gravis ad frontem lancinat: frons etiam, quamvis sudore suffusa, febricitanti inardescere videtur; et oculi lucem, vel maximè obscuram, refugiunt: sonos ne levissimos tolerare potest æger.

Rebus

Rebus ita sese habentibus, pulsus imbecillus et inæqualis, vacillans et tardus, evadit; modò intermittit, aliàs festinat: facies modò pallida, aliàs sanguine turgida: urina, sæpiùs limpida, nullum sedimentum deponit. Somnus quo fruitur, ut adstantibus videtur, fugax vel nullus est. Sitim raró, aliquando verò linguæ calorem conqueritur, quæ crustâ subnigrâ obducta, plurimùm fatiscit. Ventriculus dolet, et esculenta omnia firmiora, carnem præcipuè, aversatur; sæpè cum nausea, aliàs humoris pituitosi vomitione.

Circa septimum vel octavum diem ab initio morbi, capitis vertigine et dolore plurimùm auctis, aurium sonitus eò usque ingravescunt ut delirium sequatur. Propter pondera ad præcordia, respiratio valdè laboriosa evadit. Adeò etiam debilitantur vires, ut corpore erecto sedere non potest, quin animo deficiat, æger: Super frontem et manuum partes aversas subitò erumpunt sudores frigidi, quamvis, idem tempus, nimio ardore, tamque subitaneo, suffunduntur genæ volæque; et jam urina pallidior et magìs limpida fit. Cum tremoribus

universis

universis et tendinum subsultibus, prognoscendum sit delirium, quod rarò tamen violentum est, et animi perturbationem levem potiùs refert, quæ sibimetipsi mussitando et inter loquelam hærendo, sese prodit.

Ægri aliquando festinanter, et perturbati, a somno expergiscuntur. Mox compotes mentis fiunt, sed citò in statum somniculosum denuò relabuntur. Inter hæc, lingua valdè sicca et scissa evadit; ad medium præcipuè, dum margines ejus subflavæ sunt; et si ex ore eam detrudere conatur æger, plurimùm tremiscit.

Frequenter, sub nonum, decimum, duodecimumve diem, sudores profusi excernuntur, super extremitates frigidi et glutinosi; et fæces valdè solutæ sæpiùs dejiciuntur, quorum ambo liquefaciunt et debilitant. Cutis humor calidus, utcunque, plerumque salutaris est; atque diarrhœa lenis, et delirium et stupefactionem, haud rarò solvit.

Jamque pleno gradu succumbit æger; frigescunt extremitates; livescunt ungues; et pulsus tremere et vacillare, potiùs quàm micare,

care, videtur, tamque citatus et exilis fit, ut vix percipiatur, nedum numeretur; ægro interim tam stupido adeòque insensili, ut neque sonis quàm maximè claris, neque luce vividissimâ, affici possit.

Diversi coloris maculæ, in variis corporis partibus, præcipuè in pectore et dorso, aliquando in facie, rariùs super crura et brachia, interdum sese ostendunt; quo morbi die incertum.

In provectiore stadio morbi, debilitas, ob auctam violentiam omnium symptomatum, quæ enumeravimus, magìs magìsque urget. Sudores copiosiores evadunt; his, aut diarrhœâ eodem tempore superveniente, exhauritur febricitans. Extremitates continuò frigent; et ob defectum virium, subsultus tendinum increscit.

Adventante morte, oculi immobiles et concavi fiunt: Vultus collapsus, lugubrum atque cadaverosum aspectum exhibet: æger flocculos legit apparentes ante oculos ludere; vox deficit, aut adeò debilis sit, ut adstantibus vix audiri possit; deglutire prorsùs invalidus;

validus; ictus arteriarum adeò debiles atque celeres reperiuntur, ut vix numerari queant: Urina et fæces involuntariè redduntur, et sine causa evidente lacrymæ defluunt: Aphthæ, nigri caloris, circa os et linguam, et in faucibus; necnon vibices in variis corporis partibus sese manifestant: Non raró sanguis, naribus, gingivis, intestinis, aliisque partibus, profunditur. Omnia nunc symptomata testantur mortem appropinquare: Singultus, tremores universales, animi defectiones, convulsiones, ultimas scintillas vitæ extinguunt, miseriisque finem imponunt.

Quoad hujus morbi durationem, nihil certè judicari potest. Aliquando circiter quintum aut sextum diem, æger convalescere incipit: Sed hoc raró accidit; nam sæpè protrahitur ad decimum quintum, imò ad vigesimum. Cùm morbus ad crisin more optato venit, convalescens de vertigine, tinnitu aurium, et multis aliis molestiis, conqueritur; quæ paulatim evanescunt, prout vires restituuntur.

CAUSÆ REMOTÆ

AD duas classes, Prædisponentes et Excitantes, meritò referri possunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Ea quæ corporis humani vires ita debilitant, ut hoc magìs causæ excitanti obnoxium fiat, inter causas prædisponentes existimari oportent: Hæc verò sunt, deprimentia animi pathemata; vita sedentaria; exinanitiones nimiæ; Venus immodica; errores in diæta; longa inedia; calor, frigus, &c.

Affectus animi tristes, quotquot sunt, brevi corpus debilitant: tanta enim adest corpus inter et mentem sympathia, ut hæc graviter affici nequeat, quin brevi corpus ejusdem affectionis particeps fiat. Inter verò animi affectus, *metus* præcipuè corpus ad contagium recipiendum opportunum reddet; hic enim vim cerebri, et idcirco actionem cordis

et

et arteriarum imminuendo, sanguinem ab extremis partibus avertit; cutem gelidam et pallidam reddit, omnesque functiones debilitat: hinc, in locis in quibus sæviunt contagiosi morbi, hi non rarò immunes a contagio evadunt, qui animo læto et confidente præditi sunt; dum contrà, timidi et mœsti contagio absumuntur.

Vita sedentaria.—Homines hoc vitæ genere, debiles admodum fiunt: Exercitatione enim corpore non ut decet firmato, musculi flaccidi fiunt, nervi vires amittunt, sanguinis motus languet, ventriculus infirmatur, et concoctio non ritè perficitur; omnis, uno verbo, organorum secernentium vitiatur actio, et sic, ut videtur, ad hanc febrem magìs proclives fiunt. Homines molli et laxâ fibrâ præditi, quæcunque sit hujus laxitatis causa, magìs hujusmodi febribus obnoxii sunt.

Exinanitiones nimiæ.—Modica vasorum plenitudo ad sanitatem necessaria est; hinc fit ut magna jactura sanguinis, sudores profusi, alvique profluvium, magnam debilitatem inducunt. His addi debent, aliæ causæ in-

firmantes.

firmantes, veluti studium intensum, pervigilia nimis protracta, negotia, meditationes continuæ, et alia ejusmodi, corporis sanitati perniciosissima.

Diæta nimis lauta et copiosa, vel prava et tenuis, corpus æquè lædunt. Effectus pravæ diætæ, veluti parùm nutrientis cibi, aut non debitâ quantitate suppeditati, non minùs deplorandi; et typhum sæviùs grassari, ubi inedia et rerum inopia adsunt, conceditur.

Calor immodicus—quoque homines ad hunc morbum proclives reddit: hinc in regionibus calidis non rarò sæviunt malignæ admodum hujus generis febres.

Frigus intensum, aut nimis diuturnum, animalibus atque plantis valdè nocivum est; præsertim si humiditati conjunctum, corpori humano nocet; multos morbos excitat; proclivitatem ad typhum facit.

CAUSA EXCITANS.

Mihi persuasissimum est, præcipuam si non unicam hujus morbi causam, contagium humanum existere.

DE DIAGNOSI.

Solus morbus, a quo medicorum multùm interest typhum incipientem dignoscere *synocha* est, quæ, per duos tresve dies primos, typho adeò similis est, ut haud rarò, peritissimi medicorum nesciunt, utra febrium urgeat, accuratè discernere.

Qui typho implicantur, eorum vires magìs dilabuntur, magìsque marcet animus, quàm eorum, qui synochâ. Delirium maturiùs incipit, et mitius est. Facies pallidior est; lugubrior vultus. Arteriarum pulsus, celerior, imbecillior atque frequentior: Temporatior summæ cutis calor; minùs importuna sitis: Urina copiosior, at minùs colorata. Synocha, denique, petechias nunquam movet; typhus ferè semper.

PROGNOSIS.

Indicia, quæ spe consolantur, sunt sudores tepidi et lenes per totum corpus, neque per

remedia

remedia excitati; lingua nitida et humida, saliva copiosior, cupiditate cibi simul redeunte; sitis moderatior; modicum alvi profluvium, præcipuè, si quæ descendunt, sunt felle suffusa; remissior summæ cutis calor; pustulæ scabiosæ, circa os, nares, auresve, ortæ: Arteriarum motus validiores, at tardiores: Dolor capitis, vino aliisque stimulantibus levatus: Vires non multùm imminutæ: Delirium leve, sopor levior: Abscessus in glandulis parotidibus, axillaribus, vel inguinalibus: Papillæ albidæ, miliariæ, quas neque antecesserunt, neque comitantur, profusi sudores: Papulæ rubræ, pruriginosæ, et vesiculæ aquâ plenæ in dorso atque pectore: Gravitas auditûs, præcipuè si supervenerit auris abscessus: in provecto morbo, urina turbida, copiosa, in qua, quædam subsident.

Signa infausta sunt, facies pallida et collapsa; lingua sordida aridaque; sitis insedabilis; spuma oris; aphthæ livescentes aut nigricantes, cum tetris faucium ulceribus; devorandi difficultas: Ventriculi debilitas; cum anorexia, nausea, et vomitu: Dejectio-

nes

nes frequentes, cruentæ et fœtidæ; pulsus parvus, frequens et debilissimus: Singultus, delirium ferox et continuum: hebetudo oculorum, qui aspectum vitreum induunt, quique caligant: Dolores in capite orti, aut in thoracis visceribus, aut abdominis: Deliquium animi ex erecto corporis situ: Respiratio difficilis, sine ullo malo pulmonum: Anima fœtida; sudores gelidi, lenti, in partibus orti; cutis fervida et arida, eàdem mors denunciatur. Ubi æger in vestes floccos legit, fimbriasve diducit; ubi urinam reddit subatram, fœtidissimamque. Illa quoque mortis indicia sunt: sudores profusi et fœtidi; cruor sub cute effusus, petechiasque aut maculas, aut vibices, repræsentans: Tumidum intentumque abdomen; aut si extremitates membrorum inalgescunt; si æger suæ mentis compos non est, supinusque assiduè cubat; si genua contrahit, et deorsùm ad pedes subindè delabitur; sanguinis etiam profusiones ex variis corporis partibus; oculi rubri et truces; cadaverosus totius corporis fœtor; mingendique impotentia; mortem subesse testantur.

Neque

Neque is servari potest, cujus oculi illachrymant, cujus urina atque fæces sine voluntate egeruntur; qui, alto sopore obrutus, assiduè dormit. In præcipiti verò jam esse, denunciant, nervorum subsultus; manuum, exsertæque linguæ, tremores; atque musculorum convulsiones.

RATIO MEDENDI.

In tribus ſtadiis, hujus morbi, tria consilia medendi indicari videntur.

Primò, Quomodo sit spastica constrictio removenda, et nimius debellandus renixus:

Secundò, Quomodo sit debilitati obviam eundum:

Tertiò, Per status typhi posteriores proclivitati humorum ad putredinem obsistendum est: eademque jam incepta corrigenda est.

CONSILIUM PRIMUM.

Primum medendi consilium certiusque, absolvitur vomitoriis, diluentibus, neutris salibus, balneis, vel frigidis vel calidis.

Emetica—non immeritò laudata sunt, et sæpè adhibita, vixque ullum potentius remedium ad spasmum tollendum; quinimò ad febrem discutiendam, si maturè adhibeantur, notum est, quod maximam utilitatem præbent; haud rarò morbum invadentem fugant; spasmum, sanguinem per totum corpus æqualiter distribuendo, tollunt; sordes, quæ stomacho et intestinis, insunt, exonerant. Inter emetica duo potissimùm celebrantur, nempè, *radix ipecacuanhæ* et *tartris antimonii.* Inter præparationes antimonii, tartris antimonii cæteris antefertur; huic enim satis certæ mitesque sunt facultates, cum aqua multùm solutæ, parvis et repetitis dosibus exhibitæ, donec superveniat vomitus. Si antimonium tutò adhiberi non potest, et eligitur aliud remedium, ipecacuanha recens in pulverem redacta, administretur; aut vinum ipecacuanhæ:

hoc

hoc in multis casibus mitissimum, optimum remedium invenitur.

Diluentia.—Hæc transpirationem per cutem expedientia, ad spasmum solvendum plurimùm conferunt, et mitigandam diathesin phlogisticam. Inter hæc præcipua sunt *decocta avenacea*, aut *hordeacea*, *infusa lini*, aut sola, aut acidorum quorundam ope gratè acidula facta. Aqua super panem tostum infusa, aut cum lacte mixta, cerevisia tenuis, et alia hujusmodi, pro diluentibus ægro sunt administranda: et quoniam idem potus multùm repetitus fastidium procreare potest, horum potuum varietatem præscribere debet medicus.

Præter potus diluentes, SALES NEUTRI cum insigni beneficio adhibentur. Hi in certa quantitate in ventriculum recepti, paulò pòst, sensum caloris in cutem generant, et inde non raro facilis erumpit sudor. Præterea, ad nauseam et vomitum, quæ sæpiùs molestissima sunt, levanda, efficacissimi sunt hi sales cum acidis vegetabilibus misti, et inter effervescentiam hausti: *alkali vegetabile cum succo limonum*, quovis alio potius est: forsan etiam

nonnihil

nonnihil valeant *citras ammoniæ*, atque *acetis ammoniæ*.

Affusio frigida remedium efficacissimum est, ad febrem incursantem discutiendam, si mox post impetum adhibeatur. Post eam, enim, pulsus brevi moderatior sit: Respiratio magis libera; exhalatio per cutem restituitur: Extinguitur sitis, et lingua fit nitida: æger deinde somno fruitur: Tandem omnia symptomata mitescunt. Si serò adhibeatur, non efficax est. Balneum pluviosum cautè administrari debet, non quidem in omni statu febris; si frigus urgeat vel sudor prorumpat, ab eo abstinendum est. Cùm gradus caloris ad 100°, 101°, vel 102°, thermometri Fahrenheitiani, augeatur, cum beneficio lavatio frigida administratur, hancque benè fert æger. Si medicus timeat præscribere ut æger in frigidarium descendat, quia nunc morbus aliquot dies duraverit, totum corpus lavari potest aquâ frigidâ vel tepidâ, prout calor sit, cum aceto mixta, haud sine commodo.

Dum

Dum hæc remedia, primo quod indicavimus consilio præscribuntur, diæta interim tenuis, regimenque antiphlogisticum, non omittenda sunt. Optimè conveniunt ptisana, fructus acescentes, ut aurantia, poma tosta, &c., quæ febricitantibus gratissima sunt, et ad refrigerandum corpus multùm pollent: omnia stimulantia cautè vitanda sunt; qualia, meditatio nimia, lux, strepitus, colloquia quæ attentionem animi requirunt. Alvus est leniter laxanda enematibus, vel infuso tamarindorum cum senna; vel neutris salibus, qualia phosphas sodæ, tartris sodæ et potassæ, &c. Si illis rebus non laxetur alvus, jalapa hydrargyro muriato miti conjuncta, non solùm sine periculo, sed etiam maximo cum commodo, in auxilium vocabitur.

Somnus per noctem ægro conciliandus est, anodynorum ope, veluti opio, quod potissimùm prodest, si irritabilitas, delirium, vel convulsiones ex nimia debilitate et mobilitate oriantur. Cùm caput dolet, et æger comatosus sit, *epispastica*, non sine levamine, capiti vel nuchæ applicantur.

CONSILIUM SECUNDUM.

Adversus debilitatem maximè valent *TONICA* et *STIMULANTIA.*

Frigus corpori admotum, aut etiam frigida in ventriculum recepta, inter roborantia primas tenent: Cavendum est, verò, ne sit frigus nimium. *Cinchona* inter efficacissima roborantium jurè et meritò habetur. Hoc observandum est, si aliqua sit in morbi initio phlogistica diathesis, aut imbecillis ventriculus, nimis hoc remedio gravetur, ejus usus postponendus est. *Vinum*, omnibus aliis stimulantibus longè præstat: Non parcâ, sed liberiori manu, propinandum est. Inter omnia cardiaca adhuc nota, præcipuum est; roborantem et stimulantem vim habet; ventriculo gratum est; actionem cordis et arteriarum excitat; dolorem et delirium lenit. Si ægroti non habent vinum, ejus vice substituenda est *cerevisia meracior*, aut *liquores distillati aquâ diluti:* hæc autem haudquaquam æquè ac vina pollent. Si verò sanguis versus caput refluat, et phrenitidis periculum sit,

sit, vinum et omnia stimulantia cautè sunt evitanda.

Opium in febribus multùm laudatum est: ritè adhibitum, delirium sedat, somnum conciliat, diarrhœam cohibet, cor et arterias simili modo ac vinum incitat.

Frigus, quod insigni roborante vi gaudet, corpori debitè applicatum, adhiberi potest, sive ægrum aëri externo frigidulo exponendo, sive per administrationem aquæ frigidæ pro potu.

CONSILIUM TERTIUM.

Mundities præsertim est observanda. Aër in cubiculo frequenter renovandus est; nihil enim putredini magis favet, quàm aër calidus, impurus, morbosis efluviis corruptus et stagnans: Sæpissimè etiam mutanda sunt indusia et flocci: Citissimèque excrementa quælibet removenda. Si quid putridi, intestinis insit, diluentibus, vino, aut acido qualecunque vegetabili mistis, corrigendum. Alvus sæpè deplenda lenibus enematibus; et excretiones urinæ et perspirationis promovendæ,

vendæ, diluentibus et salibus neutris jam memoratis. Maturi fructus, &c. quos jam diximus, insigniter ad putredinem sistendam valent.

Si malè dormit æger, vespere præscribatur opium; vel si adsit illud symptoma dictum subsultus tendinum, quod tam facilè in generales convulsiones desinit; non nimis parcè, imò repetitis de die dosibus, est dandum, secundum vim et violentiam symptomatum. Nihil obstat quò minùs opium cum aliis antispasmodicis, moscho, camphora, æthere sulphurico, valeriana, conjungatur. Cùm magna sit in acido carbonico vis ad putredinem sistendam, et corrigendam, id enim non solùm in corporibus vita privatis corruptionem sistere, sed eam etiam ulterius progredi obstare in rebus jam corruptis, videtur. Copia ejus idonea, aquæ immista, sub forma enematis, in anum injici potest; aut, aëri immista, in pulmones inhalari.

Cùm ægrotans convalescere inceperit, maxima cura adhibenda erit, ne febris iterum redeat, propter debilitatem morbo inductam: hinc

hinc cinchona, vinum, et præparata ex ferro, non omittenda sunt.

Diæta sit primùm levis, sed satis nutriens: Cibus animalis non nisi parcâ manu sumatur. Moderata exercitatio, qualis non multùm fatiget: Balnea frigidula: Omnis intemperantia cautè evitanda est, donec æger vires recuperaverit.

FINIS.